

4700ADTL040

Collegium Maximum Immaculatae Conceptionis  
Montreal, Canada

Facultas Theologica

Theses

Theologiae Dogmaticae  
in Examine Defendendae

Anno MCMXLII

De Deo Incarnato

1 Iesus Christus animam possidet rationalem verum corpus humanum informantem adeoque est homo verus, per omnia nobis consubstantialis. – S. Th., 3, 5.

2 In Christo unica est persona et quidem divina persona Verbi; natura autem divina et humana Iesu Christi uniuntur hypostatice, i.e. in persona et secundum rationem personae. – S. Th., 3, 2, 2, 3 et 6; 3, 3, 1, 2 et 8; 3, 4, 2, 3.

3 Nec theoria, ut aiunt, Scoti, neque Tiphani, neque Suaresii, neque Caietani unionem hypostaticam recte explicat.

4 Unio hypostatica, iuxta doctrinam Angelici Doctoris, explicatur per hoc quod humana Christi natura sic communicatur Verbo ut in illo existat et non in semetipsa, quatenus scilicet esse personale Filii Dei supplet vices creatae existentiae sive proprii actus essendi, qui eidem humanitati naturaliter debebatur. – S. Th., 3, 2, 7; 3, 17, 2.

5 Natura divina et natura humana Iesu Christi in unam naturam non coalescunt, sed utraque post unionem hypostaticam inconfusa, impermixta, integra, salva utriusque proprietate perseverat. – S. Th., 3, 2, 1.

6 In Christo duplex est operandi et volendi principium et operationes duplicis ordinis, divinae et humanae. – S. Th., 3, 18 et 19.

7 Verbo secundum hypostasim non solum corpus animatum sed etiam partes integrantes naturae humanae imo et sanguis unita sunt et quidem inseparabiliter. – S. Th., 3, 6, 1, 3, 4; 33, 1-3; 50, 2 et 3.

8 Unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo consequitur aliqua ideomatum communicatio, i.e., mutua attributorum divinatorum et humanorum praedicatio, vera et realis, certis tamen servatis cautelis . – S. T., 3, 16.

9 Iesus Christus etiam ut hic homo est Filius Dei naturalis, nulloque modo filius adoptivus dici potest; unde eodem cultu latriae, quo Verbum adoratur, Christus, etiam ut hic homo, adorandus est, eiusque Cor Sacratissimum speciatim. – S. Th., 3, 23, 4; 32, 3; 3, 25, 1, 2.

10 Animae Christi tribuenda est scientia creata tanta ut nil ignoraverit ex iis quae ratione dignitatis et muneris sui ad Eum pertinebant; unde scientia illa recte dicitur omniscientia relativa, ab omni errore immunis. Christus in terris degens triplici scientia creata ornatus fuit, beatifica, infusa, et experimentalis. – S. Th., 3, 9-12.

11 Humanitas Christi sancta sanctitate tam substantiali per gratiam unionis quam accidentali per gratiam sanctificantem semper fuit ab omni peccato immunis, imo absolute impeccabilis. – S. Th., 3, 6, 6; 15. 1 et 2.

12 Humana Christi voluntas libertate indifferentiae pollebat et eius humanitas quamvis non sit omnipotens, accepit tamen virtutem patrandi ea quae ordinem naturae excedunt. – S. Th., 3, 18, 4.